



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XVI. Forma iuramenti, quam praestare debent testes synodales in  
manibus suorum archidiaconorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

## X V.

*Quod presbyteri informare debent populum, qualis & quam lata spiritualis cognatio in baptismo & confirmationis sacramento oritur.*

Iniungimus insuper omnibus plebanis, quatenus populum sibi commissum publice in ambone informare studeant, quod, sicut inter quemlibet leuantem aliquem de facro fonte, & ipsum leuatum, sic & inter omnes filios & filias, leuantem & ipsum leuatum, & inter coniugem leuantis carnaliter prius cognitum seu cognitam, & ipsum leuatum, nec non inter parentes leuati & ipsum leuantem, & eius coniugem, carnaliter prius cognitum vel cognitam, cognatio oritur spiritualis impediens matrimonium contrahendum, & dirimens iam contraetum. Et ea quæ de leuante sunt dicta, etiam de baptizante modis expressis declarent esse intelligenda.

In confirmationis quoque sacramento ratione prius confirmantis, & ad confirmationem aliquam tenentis, non autem ratione ligatur aut fasciam solummodo fronti alligantis, seu chrisma dumtaxat abluentis, eisdem modis ut in baptismate, huiusmodi propinquitatem prouenire populo denuntient & declarant.

## X VI.

*Forma iuramenti, quam praestare debent testes synodales in manibus suorum archidiaconorum.*

Iurabunt testes synodales, vel saltem fidem loco iuramenti piabunt in hac forma. Primo, quod per totum annum usque ad Synodum proximam diligenter inquirent, simpliciter tamen de plano & absque illa iurisdictione, quæ correctionis & reformationis tam in clero quam in populo sint necessaria, & quod illa fideliter referent in Concilio prouinciali & Synodo episcopali proxime celebrandis, postquam fuerint requisiti, usurarios, adulteros, concubinarios notorios seu manifestos, & quoscumque manifeste & publice delinquentes, tam in clero quam in populo, quos debita adhæc adhibita diligentia perquisuerint, deferre & denuntiare, quando super hoc requisiti fuerint, denuntiare non omittent.